



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

776. An resignatio facta in causa permutationis sit publicanda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

nepe intra tres menses, computandos, non à die admiffæ resignationis, sed à die factæ sibi provisionis, eam publicare, & possessionem capere, modo & formâ in dicta Constitut. Gregor. ei præscriptis; uti hæc omnia jam dicta in eadem Constitut. expressit Gregorius.

*Quæstio 775. An ergo etiam, dum Ordinarius admittit resignationem, & Papa contulit, quia nimirum ad ipsum spectabat collatio talis beneficii, utpote alias reservati, vel quia Ordinarius non contulit debito tempore, vel quia contulit male, v.g. contra formam Bullæ Piæ, provisus teneatur publicare?*

**R**espondeo: Tametsi videri posset, dictam Constitut. Gregor. de hoc casu nihil disposuisse, utpote quæ restricta videtur ad provisionem Ordinarii, dum extra Curiam resignantur beneficia, probabilis esse, teneri etiam talem publicare; eò quòd dicta Constitutio sit admodum generalis, & in præsentè casu omnes illius rationes concurrant; præsertim illa fraudis, ob quam Constitutio favorabilis censetur, & amplianda, Paris. cit. q. 5. n. 10. qui etiam à n. 11. illud confirmat ex eo, quòd, dum Ordinarius recipiens resignationem, beneficium resignatum male contulit contra Constitutionem Pii V. v.g. consanguineo suo vel resignantis, per illam malam provisionem non inducatur nova vacatio, uti nec in devolutis; sed remaneat antiqua, & consequenter, cum vel sic provisio Papæ fiat ex causa resignationis, sit publicanda. Item n. 15. ex eo, quòd, cum dicta Constitutio Gregorii XIII. mandet, publicari etiam resignationes factas coram Notario & testibus, à quibus, ut constat, non possunt fieri provisiones; multò magis ob identitatem, vel potiùs majoritatem rationis velit publicari resignationes factas coram Ordinariis, dum hi beneficia resignata conferre nequeunt, quia devoluta vel affecta Papæ.

*Quæstio 776. An resignatio facta ex causa permutationis sit publicanda?*

**R**espondeo affirmativè: Cum, quidquid fuerit de hoc autè dictas Pii V. & Gregorii XIII. Constitutiones, modò id constat ex iisdem Constitutionibus id mandantibus hæc expressis: & quacunque resignationes, etiam ex permutationis causa: Paris. cit. q. 5. à n. 16. Chok. de permut. p. 3. c. 15. n. 3. Garc. p. 11. c. 3. n. 273. Azor cit. c. 24. q. 7. Rebuff. in pr. ad reg. de publicandis. gl. 3. militat siquidem eadem ratio fraudis in permutatione, quæ duplicem complectitur resignationem, & in qua datur vera vacatio. Paris. n. 20. & 21. qui etiam n. 23. expressè ait, id procedere, si permutatio facta causâ utilitatis, vel necessitatis Ecclesiæ. Sic itaque uterque permutantium permutationem publicare tenetur; & si unus tantum publicet, alter non, permutatio irrita non est, sed is, qui non publicavit, beneficium amittit, seu facta ei collatio annullatur, altero, qui publicavit, retinente beneficium sibi de novo vi permutationis collatum. Paris. à n. 25. & ex eo Azor, Chok. II. cit. Contrarium tamen tenet Ventrigl. To. 2. annot. 4. §. 2. n. 84. nimirum publicationem non esse necessariò faciendam ab utroque permutante, citat pro hoc

Barbof. juris Eccles. l. 3. c. 15. n. 193. Navar. in Sum. Bullar. tit. de benef. resign. public. n. 28.

*Quæstio 777. An publicari quoque debeat resignatio facta cum reservatione omnium fructuum, denominationis, tituli, administrationis, servitii, & stalli &c.*

**R**espondeo affirmativè: Sic enim exprimitur tam in Constitut. Pii V. quam Gregorii. Unde quoad hæc facièda non est distinctio, an beneficiis resignata requiratur residendum, nec ne, an simplicia, an curata. Paris. cit. q. 5. n. 31. dicens, secundum hanc opinionem hodie tenendum tam in judicando, quam consulendo. Proceditque hæc responsio, sive fructus reservati percipiendi sint nomine & auctoritate Resignatarii, sive auctoritate propriâ resignantis, ut expressè in Constitut. Pii V. Paris. cit. n. 31. & ex eo Azor cit. q. 7.

*Quæstio 778. An publicanda resignatio beneficii facta cum reservatione pensionis, regressus, accessus?*

**R**espondeo affirmativè: Paris. cit. q. 5. n. 46. dicens, esse communem omnium, & probari apertè in dictis Constitution. eò quòd vigeat eadem ratio fraudis in tali resignatione conditionata.

*Quæstio 779. An, dum resignatio facta simpliciter, & in nullius favorem in manibus Papæ, & is beneficium resignatum contulit alteri, is, cui collatum, teneatur provisionem publicare?*

**R**espondeo affirmativè; eò quòd hic casus clarissimè comprehendatur in Constitutione Gregor. dum ea universim decernit, ut beneficia per resignationem obtenta, seu ut occasione resignationis vacantia obtenta promulgentur. Et licet cesset in eo casu unum caput fraudis, vigeat tamen aliud. Paris. cit. q. 5. n. 48. & 49. dicens, secundum hanc responsonem resolvisse Rotam in Sabinenf. benef. 5. Martii, 1586. Azor cit. q. 7. Castrop. de benef. d. 6. p. 2. §. 6. n. 6. Contrarium tenentibus Garc. p. 11. c. 3. n. 336. Ventrigl. loc. cit. n. 83. restante sic resolutum à Rota decis. 296. n. 4. p. 2. Recent. & in Feltrins. Paroch. 9. Nov. 1600. Item Lotterio l. 3. q. 21. n. 7. eò quòd, ut ait, hæc videatur potiùs dimissio aliqua, quam resignatio: idque, sive fuerit facta coactè in vim Decreti, sive spontaneè; item quia tunc cesset ratio, seu suspicio fraudis. Sic quoque eum, cui Papa contulit beneficium simpliciter resignatum coram Ordinario, negligente illud conferre intra tempus sibi à Jure concessum, teneri, provisionem illam sibi factam publicare, tradit Paris. n. 50. citatâ eadem Decisione Rota, & cum ipso Azor loc. cit. & consentit Garc. loc. cit. n. 337.

*Quæstio 780. An ergo etiam locum habeat dicta Constitutio Gregor. de publicandis in beneficiis vacantibus per adeptionem aliorum cum iis incompatibilium, ita ut facièda sit publicatio de impetratione talis beneficii liberè dimissi ob affectationem alterius?*

**R**espond. negativam absolutè tenent Ventrigl. loc. cit. Garc. loc. cit. n. 334. Barbof. juris Eccles. l. 3. c. 15.